

*Dissertatio Physiologica*  
 DE  
 MOTV VENTRICVLI  
 ET  
 INTESTINORVM  
 PERISTALTICO

DEI TER OPTIMI MAXIMI AVXILIO,  
 GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ  
 LIPSIENSIS

CONSENSV,  
 SVB VMBONE  
 DN. D. CHRISTIANI MICHAELIS  
 ADOLPHI

DOMINI PATRONI ET PRÆCEPTORIS SVI OMNI  
 OBSERVANTIÆ CVLTV

PROSEQVENDI  
 D, XII. APRIL. A. S. R. MDCCXX.

H. L. Q. C.  
 PVBLICO EXAMINI EXPOSITA,  
 RESPONDENTE

CHRISTOPHORO SÜSSENBACHIO  
 Hirschbergensi Siles.

Physiol.  
 258, 2.

LIPSIÆ,  
 Litteris ANDRÆ MARTINI SCHEDII.

*Pl. Tit. 49. 86*

*Intestina.*  
*Notus V.*

*Dp. physiol. V. 256*

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including words like "EMILIO", "CHRISTIAN", and "D. XII APRIL 1782"]

Sächsische  
 Landesbibliothek  
 Dresden



## PRÆLOQUIUM.

**G**enerato animali, ut vivat, crescat, atque perficiatur, nutritio ulterius accedat, requiritur, quæ non nisi generationis continuatio & renovatio est, atque quæ adeo inter se conveniunt & similes sunt, ut opus sit easdem a se invicem discernere. Ambæ a fluido & molli incipiunt, & ad spissum, solidum durumque sensim sensimque progrediuntur. Ambas attilis quidam lymphaticus ingreditur succus. Non una enim nutritionis necessitas est, quæ & principii vitalis conservationem & particularum temperatarum dulcium ac benignarum & facile exsolubilium ( quarum calculum curiose satis inivit SANCTORIUS in medicina statica, ) quæ quotidie deprædatorio calore & motu intus forisque separantur, dissolvuntur, immutantur, perduntur, & consumuntur, reparationem, solidarumq; partium firmationem, & ad solitam, convenientem, necessariamque magnitudinem & staturam usque, omnium membrorum accretionem involvit. Ad hanc chylicatio debitum succum nutritium præbendo, suam confert operam. Hæc in ore inchoatur assumptis congruis alimentis, per salivæ commixtionem, comminutionem, masticationem, dentium maxime ministerio præparationem, & in ventriculo variorum rursus mediolorum & instrumentorum ope, jam maxima ex parte continuatur & peragitur. In intestinis inprimis in

duodeno ulterius perficitur (hinc ibi omnia sunt liquidiora) tandem exaltatur ac absolvitur penitus. Hæ partes, nutritio- nis origo, fons & radix existunt, unde convenienter satis *ARISTOTELES*. 4. part. animal. 4. ventriculum, ter- re proportionem respondere voluit. Quemadmodum enim terra plantis, sic ventriculus partibus animalibus, alimen- tum subministrat, & *HIPPOCRAT.* belle dixit 4. de Morbis: quoad homo vivit, ubi cibus & potus in ventriculum de- ciderunt corpus ex Ventriculo haurit, hauriunt & fontes & expleti corpori transmittunt. In his uti in aliis viget motus quidam, peristalticus dictus, plus plusque in chylicatio- nis negotio valens, atque hinc consideratione paulo ampliori dignus. Quem laborem qualemcunque jam a nobis susceptum benevole accipiat L. B. Ne autem is sine auspiciis & favore Summi in cælis Numinis, quod vitam & valetudinem mor- talibus donat, moderatur atque tuetur, a nobis suscipiatur, devota mente precamur, ut declarantibus nobis, vires ex alto quam clementissime lar- giatur.

## §. I.



Omen (ut apud Platonem in Cratilo legitur) rerum substantiam docendi, discernendiq; instrumentum est: quare vocem, quam Dissertationis præsentis frons gerit, prout fert pene solennis observatio, exponamus quoque, ut constant modo, ejus natales, qui græca origine oriuntur, & audiunt cognato vocabulo, mo- tus circumpressorius, qui coarctandi circumcirca vim ha- bet. Haud multum absimili modo quoque peristole vo- catur. Aliis motus vermicularis sub nomine venit, quia vermium ad instar sese contrahit. Ab aliis, motus testudi-  
neus

neus appellatur. Vide CHARLETON, *exercit. physic. anatom. III.* Estque nempe motus, qui in oesophago jam incipit, ventriculo & intestinis maxime pressoria vi lumbrici reptantis instar, a partibus superioribus ad inferiores, mediantibus fibris undatur, volvitur, & alimenta imprimis ore assumpta ibique præparata in ventriculum dimittit, eademque maxime ibi soluta, digesta, ex eo in intestina & chyli in perfectum in vasa lactea agit, scybala vero ex corpore ejicit &c.

## §. II.

Scilicet officina chylicationis, canalis alimentorum & excrementorum: oesophagus, ventriculus, & longum intestinorum volumen ab orificio usque ad finem, per unum canalem & ductum continuatur, modo ut ventriculus sit pars intestinorum magis expansa atque amplissima, & intestina nil nisi ventriculus in arctum magis spatium contractus, ac in longos tubos extensus. Eadem enim constant substantia, eadem structura, eademque natura, eodem motu ejusdemque indolis liquore, qui exstillat, solvente, eodemque tandem officio gaudent. Totidem nimirum componuntur tunicis, eademque fibrarum serie collocata. Ad sunt enim singulis quatuor tunicæ, quarum exterior tenuis est, & membranacea habetur, nervea potius dicenda, cum ex meris omnino fibris nerveis exilissimis, vario nexu inter se complicatis, constet. Altera musculosa seu carnea & fibrosa hanc excipit, quæ duplici saltem fibrarum ordine est conflata, quarum exteriores longitudinales, interiores transversæ & circulares a VESALIO, FALLOPIO, AQUAPENDENTE, B. BOHNIO & ORTLOBIO, ab aliis circulares, a STENONE spirales, dicuntur: tertia enim & intermedia fibrarum series obliquarum, quæ acceptum

retineret, quam FALLOPIUS LAURENTIUS & BARTHOLINUS agnoscunt, vix conspicitur. Perinde WILLISIUS duplicem muscolum compositum, duplexque stratum fibrarum obliquarum sese mutuo decussantium, finxit potius quam revera demonstravit, etiam si pinxit atque delineavit. Seduxit forte hunc eminentem in medicina Virum brutorum anatomia, in quibus utpote pronò corpore incedentibus & horizontaliter gula locata, capiteq; in terram defixo deglutunt, utique tales inveniuntur: in homine vero, cui soli os sublime datum est, cœlumq; intueri, alius fibrarum ordo omnino habetur. Nec est de ventriculo dubites: eum haud alia fibrarum serie esse instructum, quod fere apparet, sed revera tantum apparet, & cum rei veritate non convenit. Nam quoniam in ventriculo, Sphæricam figuram referente, non in rectas lineas, ut in gula, excurrere possint, sed hanc sequantur necessè est. Hinc dum ab uno ad alterum orificium feruntur, ascendere, descendere, incurvari eas diceres. Idem de circularibus putares, eas ob hanc pariter rationem, modo recta a summitate ad fundum, modo oblique magis flecti. Tertia nervosa vulgo appellatur, sed rectius rursus tendinosa dicitur, quia ex tendinibus carnearum fibrarum, musculosæ tunicæ, componitur. Præ reliquis hæc longior est, & varias plicas, rugas & inæqualitates præeminentes transversas potissimum, & sinus tam in ventriculo, quam in intestinis imprimis tenuibus, format. Intima tubulosa & glandulosa est, & in ventriculo & intestinis crustæ etiam villosæ, & ab HORNIO velamenti bombycini, & spongiosi peristromatis a PECQUETO nomen eidem imponitur. Hæc propter porositatem & tubulosam conformationem filtri loco se habet, quæ laudabile

laudabile tantum fluidum transmittit, crassum vero ac iners prompte excludit.

## §. III.

Harum partium initium faucibus cohæret, sub pharyngis nomine veniens aliquot muscutorum paribus, & sphinctere compositum. Ubi victu nos reficimus, hoc ore assumpta alimenta solidiora prius bene masticata & comminuta, & salivalis laudabilis humoris tanquam genuini menstrui permistione prius bene præparata suscipit, per easque commissa sibi adactione, contractione & coarctatione ulterius per gulæ tractum, cum diaphragmate, trachea & dorso connexum excipientibus nimirum longitudinalibus, & constringentibus circularibus fibris illius promovet, quam actionem deglutionis vocant,

## §. IV.

Descenso oesophago, perforatoque diaphragmatis inferiore musculo, inter hepar & lienem paululum in sinistrum hypochondrium inclinatus, a tergo, pancreate constituto, & fundo colo intestino substrato, omentoque annexo, canalis in amplum spatium amplamque globositatem oblongatam, atque tibiam utricularem fere referentem dilatatus & formatus ventriculum constituit: dextorsum rursus incurvatur in fundum & flexus ac successive angustatus, atq; hinc iterum ascendens in canalem mox arctiorem & longissimum, adeo ut totam ferme abdominis cavitatem repleat, transit, & in varios hinc sinus, gyros, circumvolutiones, anfractus & spiras disponitur & convolvitur, ne alimenta citius justo elabantur & ne vix absoluta chyli elaboratione, si statim elaberetur, aliud mox alimentum assumere cogamur &c. animalia hinc quo breviores & rectiores ductus habent a ventriculo ad anum, eo gulosiores sunt, exemplo anatum, lupi cervarii & corvi,

corvi,

corvi aquatilis, & hominis illius parisiensis, cujus mentionem facit DIONIS *Nouvelle Anatom. de L' Homme* pag. 170. Orificia duo hic imprimis spectantur, in suprema ventriculi regione æqualiter propemodum posita: sinistrum nempe, quo ventriculus superne patet, gulæque subjacet conjunctus, per quod introitus panditur, & dextrum, quod & pylorus, quasi janitor vocatur, & exitum rursus concedit. Hoc sphinctere seu valvula orbiculari est donatum, majori plicæ a tendinea tunica formata, ut transitus non reditus remeanti chylo constet, estque plurimis fibris, iisdemque satis validis stipata, ut commode coarctari possit; attamen utrumque clausum in recte valentibus est.

## §. V.

In intestinorum orbibus per duplicem membranam mesenterii connexis, & quidem eorum statim initiis duodeno, quod ventriculus quasi succenturiatus est, ductus choledochus & pancreaticus imprimis nominandi & in reliquis seorsim attendendæ sunt valvulæ conniventes KERKINGIO dictæ & adscriptæ (quamvis ante eum HIER. FABRICIO eas innotuisse constet) quarum potior & major colo, omnium sensibilissimo, quoniam præ aliis ligamento nerveo tendinoso quodam præditum est, adstructa est BAUHINI vulgo nominata, eique Auctori, sed falso rursus adscribitur, (cum jam VAROLIUS, SAL. ALBERTUS & PICCOLHOMINEUS illam observaverint) & membranosi vel carnosissimi circuli speciem refert. Reliquæ minores, cellulas hujus intestini (coli) simul efformant, a dicto ligamento huic proprio contractas (hinc annotante SPIGELIO hoc rescisso disparent,) & ex fibris carneis, musculosis motricibus constant, atque impediunt partim ne chylus juxta lympham regurgitare & regredi possit, partim, ne celerius nimis effluat, atque

atque



atque adjuvant potius, cogendo, ut tunicam villosam subintret facilius. Quæ valvulosa conformatio, quique spiralis hujus texturæ tractus atque actio in lepore inprimis, vulpe marino & struthiocamelo &c. investigantibus claret. Speciatim dicendum est: cellulas diverticula facibus concedere, ut inibi hæreant, donec collectæ mole sua secessum urgeant. In recto tandem adducendi sunt muscoli constrictores, seu sphincter, inferius orificium constringens, & levatores bini intestinum iterum a sæcum excretionem in suum locum retrahentes.

## §. VI.

In iisdem sparsæ sunt disseminatæq; vasorum lacteorum anfractuosa radices, & capillares ramuli, & ex iis obliq; oriuntur, quarum jam non paucæ primo intestinorum tenuium duodeno emittuntur; numerosissimæ vero ex altero jejuno progrediuntur: ileon jam pauciora, paucissima (vid. BARTHOLIN. *Anatomia Lib. I. Cap. X.*) & sæpe nulla colon habet. Quamvis etiam Anatomicorum non desint, qui atq; adeo in recto vidisse asserunt, (inde colligitur clysteres nutrientes interdum aliquid posse.) Hæc chylum per crustam villosam transcolatum, & ab aliis inertibus partibus separatum & secretum, ex intestinis ad mesenterii primum glandulas, primi generis dicti, vehunt, ulterius promovendum. Fæces vero alvinæ, secreto chylo, foras excernuntur. Reliqua vasa, quæ has partes perreptant, tam arteriosa quam venosa, lymphatica, glandulas, nervos a pari vago, plexu mesaraico & intercostalibus ortos, lympham, &c. quæque alias in considerationem veniunt, nominasse hic saltem sufficiat. Ob has causas modo recensitas, connexionem, continuitatem, viciniam, generis & officii societatem, & partium nervorum communionem &c. inter ventriculum & intestina ac non sal-

B

tem

tem adjacentia atque proximiora viscera, sed & multas alias partes longissime remotas magnus datur consensus, ut iis male se habentibus una simul alia afficiantur, & vice versa. Unde v.g. patet, quod ex gravi capitis læsione, & nephritico dolore & paroxysmo a tusi vehementiori &c. calculorum motu vomitus sæpe oriatur, & quod ventriculo male se habente, vertigo, sensuum stupor, oculorum tenebræ, dolor capitis, epilepsia &c. incurrant & quod in omni fere morbo appetitus & digestio lædatur &c.

### §. VII.

Duplicem naturalem ventriculi & intestinorum notabiliorem potissimum deprehendimus motum, indefinenter operantem etiam dormientibus nobis. Externus nimirum & communis est alter, alter internus & proprius. Ille a motu imprimis pressuque ceu preli diaphragmatis aliquot millenis vicibus singulis horis depressi, reciproco & continuo, quo ventriculus, cui adhæret, movetur, exagitatur & conquassatur, quoque, dependet. Intestina in specie juxta eum, qui a ventriculo procedit, & adeo simul usque continuatur, motum suum externum tam a mesenterio, quam ab abdominis quinque musculorum in homine paribus contractis in expiratione, abdominisque fornicem contrahentibus potissimum mutuantur. Quorum actio adeo necessaria est, ut in animali vivo dissectis his, atque eorum actione sic impedita, chylus ex ductu thoracico vulnere aperto, non exit, nisi externa manuum contrectatione sollicitentur iidem.

### §. VIII.

Alter, qui præ altero in œconomia chylicationis rectorem & moderatorem se præstat, ex interno principio, & propria harum partium substantia profectus hic motus peristalticus est: nostræ præsentis considerationis argumentum.

Primam

Primam hujus mentionem GALENUM injecisse apparet ex *Lib. VI. Epidem. Sed. V. p. m. 27.* post hunc FALLOPIUS, de-  
 mum eum ( quantum ego quidem sciam ) notabiliter satis  
*in observat. anatom.* reddidit explicatum. Alii quidem ASE-  
 LIO una cum vasorum lacteorum inventionem, acceptum re-  
 ferunt, sed utraque dubia adhuc ab aliis quoque redduntur.  
*vid. TH. JANS. AB ALMELOWEN invent. nov. antiq.* Hu-  
 jus organum æque sunt fibræ motrices, justotono gaudentes,  
 i. e. quæ nimis rigidæ sunt & duræ, neque nimis laxæ & molles  
 tunicæ musculosæ, præcipue circulares, per totum ductum  
 excurrentes, spirituum animalium influxu turgidæ, & anima-  
 tæ, per octavum nervorum par, geminis ramis, surculis insi-  
 gnibus, & plexibus, in primis circa orificium ventriculi fini-  
 strum conspicuis, & intercostales sufficienter concitato, in-  
 stigante simul tunica nervea substrata, a ventriculi & intesti-  
 norum contentis vario modo affecta, & affluente per arterias  
 sanguine calido atque spirituoso. Horum enim affluxus, ut  
 agant fibræ motrices, perquam necessarius est, ut ab hoc  
 convenienti in tota œconomia animali omne omnium parti-  
 um robur, omnistonus & motus visque agens & constringens  
 potissimum immediate & proxime procedit. Hæc corpora  
 subtilissima & agilissima primum impetum faciunt, primum-  
 que afferunt motum a fibris motricibus peragendum. Atque  
 is exerit sese dilatationis & constrictionis successivo motu, &  
 veris aut lumbrici instar terrestris repentis, limacis aut hiru-  
 dinis a superioribus ad inferiores partes sensum sensumque  
 movetur. Quemadmodum enim ejusmodi reptilia animalia  
 his sui corporis partibus corpori subjecto adhærent, aliis, dein  
 se contrahunt antrorsum versus, ut præterlabantur corpus cui  
 innituntur, ita simili modo motus peristalticus procedit. In-  
 cipit jam, ubi incipit totus canalis, œsophago, quo assumpta

per deglutitionem in ventriculum, & ex hoc ad intestina protruduntur, in quibus etiam præ aliis, in ileo manifesto magis indicio se prodit ac urget, & contenta ibi ulterius promovet, secernenda secernit, excernenda vero excernit &c.

§. IX.

Nimirum (ut explicatius de eo, quod res ipsa postulat, agamus) indefinenter, successive & per subsultus velut lente & pedetentim per partes & series articulosq; quasi intestinorum repit atque progreditur seu reciprocus, interpolatus (interjecta intercapedine remissione & pausa) atque undulatus est, per undas quasi fluctuantes & flexuosos gyros æquabili semper ordine per universam canalium longitudinem sevolvens atque provolvens. Quippe fibrarum contractiones ob intestinorum longitudinem & anfractuofum serpentinumq; ductum cavernarum cellularumque hinc inde remoram non tantæ sunt, ut contenta una continuata simul propulsione ab una extremitate ad alteram ejicere possint. Hac enim parte intestini contracta, colligentibus prius ingestum fibris longitudinalibus, angustataq; contractis maxime circularibus, & insecuta immediate eodem tempore longitudinalium proximè subjacentium prius ab ipsis dilatatarum corrugatione & abbreviatione intumefactioneque pars una intestini ad alteram, unum latus ejusdem ad alterum propius adducitur, & contentum, quod fibras modo presit & dilatavit, a fibris rursus contractis in alteram vicinam inferiorem vacuam, & magis ampliorem, dum a constrictione feriatur, adhuc propellitur commode, quo propulso recepto, infarcitur & dilatatur magis, donec cessante hac dilatatione, iterum novo impetu per varia eademque instrumenta, fibras, valvulas &c. facto, a tergo semper insequente & premente similiter constringitur, qui reciprocus dilatationis & constrictionis motus per vices iteratur, donec

donec cuneo quasi cuneum trudente, unde accepit, aliis reddiderit illud. Atque ejusmodi interpolatus & lentus motus de rei necessitate utique est, alioquin chyli distributio haud rite institueretur, & chylus cum facibus mox proflueret. Parum absimilis hic motus peristalticus ventriculi & intestinorum est illi, qui fit in aliis quoque canalibus & partibus, corde, arteriis, tubulis secretoriis, & excretoriis, venis, vasis biliariis urinariis, utero, in partu praesertim &c. qui pariter in his ad sanguinis & humorum praeparationem, elaborationem, progressum & distributionem perpetuandam, & contentum provolvendum aq; per dilatationes ac constrictiones invicem contituo se excipientes sic movetur & movet &c. Praeter hanc provolutionem, quam instituit motus peristalticus, a superioribus nempe ad inferiora J. C. PEYERUS *de glandulis intest. cap. 4.* aliam & in intestinis quidem saltem tenuibus (in crassis enim contenta spissiora fluctando non sunt) similem fibrarum contractionem, inverso modo a parte inferiori superiorem versus inchoatam, secundum naturam, adeoque variis motibus reciproci motum peristalticum ferri probat, cum HELMONTIO. *Vid. lib. de flatibus. pag. 271. n. 37.* in puero illo hernioso atque WEPFERUS experientia in muliere quadam, & brutis diversi generis dissectis, stabilivit. Ab his FRANC. GLISSONIUS non alienus est *de facult. mot. perist. p. 288.* unde hunc motum peristalticum luctantem vocat, a fluctuante inaequali, quem sibi concipit quoque diversum, in quo (fluctuante) fibrae superiores & inferiores inter se certarent, antagonistarum ad instar, & materiam contentam modo huc, modo illuc propellerent, quem prodromum nausae, eructationis, vomitus, praematuri descensus chyli, torminum intestinorum, doloris colici, fluoris alvi, & similibus symptomatum habet, in dyspepsia & flatibus praecipue conspicuum.

Etenim sub tali quadantenus fluctuatione, cui præcipue cœcum Intestinum conformatione sua famulatur, qua volvitur ac revolvitur, chylus in ventriculo & intestinis, ultro citroque per breve licet intestinorum dilatatum spatium (ut mihi concipio alias ob contrarium motum peristalticum a superiori ad inferius in eodem canali non adeo hic esset expeditus) constanti serie, blanda contractione & propulsione, agitatio, conquassatio, hinc inde commistio, comminutio, solutio, discontinuatio, secretio utilis ab inutili melius & expeditius succedunt, nec mora contentorum, quam ibi nectant, otiose & inutiliter instituitur, quam etiam vix intestina vivo motu gaudentia paterentur. Alterum vero fluctuantem etiam non equidem negandum, sed ad statum potius præternaturalem referendum esse quilibet facile sentit. Intolerabilis autem plane in PROSP. MARTINO est error, qui *in comment. in Hip. f. 119.* a ventriculo nihil expelli statuit, ac omnem ventriculi motum promoventem & expellentem præternaturalem habet, a rei molestæ irritatione inductum.

#### §. X.

Magnum & mirum est, quam validus fortisque sit. Haud vilis enim vis requiritur, quæ par sit, ventriculi fundum & latera sursum ducendo, ejus cavitatem plurimum arctando, contenta per adeo longas & tortuosas Intestinorum ambages, per cœci intest. secessum & latibulum &c. propellendo, discernenda excernendaque expediendo, quæ mole & qualitate non raro molesta premunt, atque nisi huic & nisi contrario ac reactione resistunt. Nam si ventriculi & intestinorum amplæ cavitates adeo notabiliter non constringerentur, ut pars una ventriculi & intestinorum ad alteram accederent, rugæ & plicæ inter se alliderentur, partes alimentorum & chyli vix possent ita atteri, dividi, & solvi: Ventriculus enim cibos omnino arctius comple-

cti

cti debet, quo melior fiat digestio & purior, alias angustos tunicarum poros non facile possent ingredi nutritiæ partes, neq; excernendæ excerni. Hanc vim, hoc robur, hancque potentiam pro cujusvis judicio tradimus ulterius expendendam, quod post absolutam chylicationem ventriculi cavitatem sat amplam aliquot mensuras circiter capientem adeo contrahat, ut vix pugnam capiat, & quod in curatione obstructionis alvi pertinacioris & passionis iliacæ, magna mercurii vivi, metallorum omnium gravissimi, quantitas ad aliquot quandoque libras ore assumta, conf. PANAROLUS *Pentecost. I. observat. ultim.* aut ex consilio aliorum (an æque bono consilio dubium) globulorum plumbeorum minorum aut majorum haud parvus etiam numerus (quo major is esset, eo tutiorem & celeriore promittit sanationem. HELLMONT. *Lib. de flatib. §. 31.*) per singulos intestinorum gyros & sinuatos anfractus sursum deorsumque etiamsi resistente vi morbi ad exclusionem ab hoc ipso urgeantur. Huc referenda est historia a WEPFERO recensita *in epist. ad Peyer.* de vulnerato quodam in regione gastrica, qui ultra passus distantiam liquorem chyli formem aliquamdiu post assumta alimenta projecit. Magnum mirumque magis adhuc est, quam validus sit, si præter naturam irritatur & pervertitur, adeo ut omnium repagula, omnesque obices eos etiam fortes, valvulas, pyloros, sphincteres effringat, quæ violentia inprimis in passione iliaca conspiciuntur, in qua horrendum & miserandum in modum excrementa ex intestinis extremis, magna vi per os supremum ejicit, adeo ut observationes Auctorum: GALENI, PRIMIROSI, PEYERI, THONERI, DIEMERBROCKII, BLANKARDI, aliorumque consent: suppositoria, glandes & clysteres immisos per os totos fuisse ejectos. Ex his MATTH. DE GRADIBUS de puella passione iliaca affecta, stupenda recenset:

censet:

cenſet: quod nimirum ſuppoſitorium quatuor tandem filis fortioribus ad coxam alligatum & immiſſum ano, diſruptis his multiplicatis filis a morbi violentia raptum atque excretum fuerit.

§. XI.

Utut validus fortisque eſt, admodum tamen ſubtili, moderato, molli, miti, placido atque leni modo non ſentientibus nobis inſtituitur, cumque adeo ſubtilem eſſe, ut non verbis ſatis exprimi queat. F. GLISSON. I. a. dicit. Atque vix utique forinſecus cadit ſub ſenſus: viſum & tactum, adeo ut hinc non deſint, qui cum potius in dubium vocant, atque plures ea propter obſcurum appellant, inter quos PECQVETVS eminent, qui eum nuſpam deprehendere potuiſſe affirmat, atque ideo hepatis illius munus potius demandare voluit. Equidem in animalibus vivis minoribus nimirum diſſectis, canibus, &c. ut & motus alioquin aliorum muſculorum conſpectus obſcurus eſt, ægre inquam ab extra apparet, at in grandioribus bobus nempe & equis in ſenſus manifeſte ſtatim eum incurrere alii dicunt, quanquam etiam alii in felibus & cuniculis ſatis eum perſpicuum eſſe, perhibent, atque adeo in vulneratis hominibus aliquando obſervarunt, RIOLAN. in *Opus. Anatom. novo c. PECQVETO p. 161.* V. G. H. WELSCH. *Obſervat. decad. VII. centur. I. p. 416.* & HELLMONT. *lib. de flatib. §. 38.* (qui in puero hernioſo eum vidit) Inſuper eum & vidiffe HARVÆUM *lib. de generat. animal.* & DOLÆUM ſæpiſſime in vivis canibus diſſectis legitur *Encyclopæd. med. dogmat. lib. II. cap. VI. p. 499.* atque adeo in pediculo oculis armatis obſervari eum HARTSCHOEPER. *in contin. conject. phyſ.* notat. In recens mortui animalis extemplo diſſecto ventriculo, atque in fruſtis inteſtinorum diſſectis interius ad temporis notabile quoddam ſpatium, multiformem & ſat fortem

tem



tem ejusmodi constrictionis & dilatationis motum cumuli ad  
inftar nitentium vermium implicatorum, varie intorquentium  
& motitantium me non semel vidisse memini. Ut lenis sit &  
placidus utique rursus necessarium est, nimirum ut alimenta  
coquenda, digerenda, solvenda, fermentanda, colliquefcentia  
sensim, extrahenda & in perfectum chylum & in commodum  
alimentum convertenda, lento gradu conficiant iter, & debitam  
quasi nectant in canali moram, quæ ad illius perfectionem re-  
quiritur, & ubi ubi laudabile alimentum insit adhuc, evolva-  
tur, & ne citius justo præcipitique cursu præterlabantur & in-  
debite ejiciantur eadem. Hinc experimur, in alvi fluxioni-  
bus, si excrementa spissiora fiunt: viam spemque adesse ad  
salutem recuperandam, quod redeuntis coctionis signum vo-  
cant: indicans, motum ventriculi & intestinorum hucusq; ac-  
celeratum nimis, simul ad meliorem frugem redire, atque se-  
cundum naturam iterum institui, i. e. blande & lente ferri.  
Accedit &, quod sub leni, placidoque, reciproco, circum-  
pressorio, dilatatorioque motu, debitæ, tenuiores subtilioresq;  
saltem succi alimentaris partes, per tunicam villosam transco-  
lentur, & per poros ejus ad vasa lactea adigantur, & ab iner-  
tibus fecernantur feliciter, si enim vehementior esset, crudæ  
crassæque inutiles nocivæque simul transjicerentur, & chylus  
impurus evaderet. Nam sub placido & lentiori motu omnes  
ubique secretiones & excretiones melius quam celerrimo &  
conciatori peraguntur, atque partes fluidæ a crassioribus lon-  
ge facilius separantur. Id quod vel domestico experimento  
satis notum est atque perspectum: Si enim aliquis liquorem  
subtilibus & crassioribus corpusculis infectum, vel massam  
liquidiorum perfusam per linteum pannum, transcolare ve-  
lit, & ministerio digitorum, paulo fortiori compressione,  
contentum exprimat, crassum, sæculentum & turbidum hu-  
morem

C

morem

morem, loco tenuioris & limpidioris liquoris accipiet. Hinc etiam patet, cur bene valentibus alvus lenta & faeces spissiores & paucae sint.

§. XII.

Insuper facillimus est, & ex una in aliam partem, ex ventriculo ad intestina, & ex hujus generis in alterius intestinorum, & celeri saepius motu vagatur in hac vel illa eorum parte stimulatus universum canalem continuum facile pertransit, adeo ut mirum sit, quod per reciprocas suas constrictiones & dilatationes, & per undas fluctuantes tam cito ferri possit. Hoc clarissime in purgantibus patet, quae in una saltem intestinorum parte quandoque haerent & stimulant, cito tamen purgationem in universum instituunt. Fortius & celerius adhuc agunt acres biliosi humores in una modo parte confluentes, quod in diarrhoeis & dysenteriis accidit. Fortissime se exerunt venena & summe corrosiva causticaque assumpta, quae citissime & mox saepius ab assumptione per superiora & inferiora simul irritationem & secessum moliantur. Quid? quod alvi dejectionem & vomitum saltem visa v. g. Purgantia, vel solum cogitationes & reminiscencia de nauseosis purgantibus excitant. Pariter & notum satis est: animi affectus varios praeter alios, uti in tota oeconomia animali, ita etiam in hunc motum peristalticum magnum habere imperium, magnamque potentiam, eamque per fluidum, spirituosum, subtilissimum illud, in hunc hasque partes magno opere exerere, adeoque & magnam vim possidere, hunc intendendi, immutandi & destruendi atque in quibusdam facile solvendi alvum &c. Huc pertinet, quod observationes ferunt Auctorum: a certo sono audito statim quosdam reddidisse alvum &c. a nonnullis rursus fuit observatum, vel ex leviori ventriculi compressione non saltem chylum, sed & semicruda cibo-

cibo-

ciborum frustra per intestina transfluxisse. Facile etiam advescit, vario modo, ut in his mox retardetur, in aliis acceleretur & homines semel aut bis in die, aut alternis diebus, aut bis tantum in septimana &c. secedant. Ejusmodi etiam est quod natura, ut ajunt & habent, facile clysteribus advescat, ut non nisi alvus sic admonita officium suum sequatur. Itaq; cum in omni re optimum sit, optimis advescere, motus peristalticus Intestinorum ut quotidie alvum egerat utique commendandum est. Amplius possemus commemorare, motum hunc peristalticum non modo hoc intuitu haud esse difficilem, sed & si consuetudo accedat, quæ altera est natura, etiam ad alia alvi atque adeo quæ ad statum magis alias præternaturalem spectant, posse reduci, ut visi sunt, qui pro lubitu quovis tempore sponte vomitum ediderunt, quod etiam non adeo rarum helluonibus est, quibus ad nutum semper ventriculus contrahitur, & infarcta reddit: BARTHOLINUS vidit Melitensem bibonem omnes liquores assumptos pro nutu rejicientem. Ut in quibusdam animalibus brutis, lupis &c. simile etiam habetur, quæ vim ventriculi expultricem per superiora, (ut agunt) animale & naturalem obtinuisse videntur. G. MOEBIUS in *Fundament. Physiolog. refert.* vidisse canem anglicam majorem, quæ singulis diebus aliquoties cibum, quem devorasset, suis catulis nutrimenti loco evomebat.

## §. XIII.

Subit inde animus, quod res obtulit, quoque ulterius explorandi, unde impulsus ad hunc validum fortemque motum instituendum & continuandum, perque tam longum intestinorum volumen quinquies, sexies, imo interdum pluries justæ hominis staturæ longitudinem æquans, per tot circuitus, & anfractus etiam sursum ascendentes, agens, proveniat, quodque gubernet hoc longum intestinorum iter. Ad hoc

definiendum, lustrandum sisto: omnem in universa œconomia animali (ut & alibi) humorum progressum, & impulsum fieri per principium quoddam, magno movendi robore instructum, qualia v. g. sphincteres sunt. Tale igitur hic quoque desiderari, neque id simplex, sed multiplex & varium pro rei exigentia, argumentatio valet. Quoniam motus semper a motore recedens sensim sensimque magis fatiscit, & canalis alimentorum tractus tantus & longus est. Atque in his partibus, docente anatomia, & superius in conspectum datis, jam adesse non unum ejusmodi movendi, principium, idque satis validum atque idoneum, ad hunc motum instauendum continuandumque, colligitur. Nam in initio canalis, pharynge, sphincter statim locatus primum agit motorem, qui fortiori facta constrictione, ore assumpta per rectam brevemque viam, g lam protrudit, ubi ingesta per os sinistrum, & per tempus aliquod ibi retenta, novo impellente ulterius promovenda habent necesse, quo officio dextrum ventriculi os, pylorus, robore sat valido instructus, fungitur, qui contenta, ad intestinorum usque tenuium exitum perveniendi, impellit, ubi excepta circa coli intestini initium, valvulosa, & membranacea nerveo musculosa, ac fibrosa, & ligamenti nerveo tendinosa, quo gaudet præ aliis, constructione valde robusta, juxta valvulas cooperantes, quæ in hoc itinere offenduntur, ad finem recti intestini, usque sphincterem pelluntur.

#### §. XIV.

Juvamini & stimulo commode huic motui peristaltico plurima sunt, quæ subveniunt, nempe & primo quidem inspiratio & expiratio successiva, & qui ab illa procedit, ventriculi & intestinorum motus, qui partim a diaphragmatis reciproco motu, deorsum descendente visceraque in abdomine contenta, leniter & continuo comprimente, & blande concitante,

citante, ut sensim dimittant, dependet partim a mesenterii, quo sunt affixa & musculorum abdominis quinque paribus actione oritur, qui diversis fibris obliquis descendentes, ascendentes, rectis, in pyramidem cuspidatis, transversis instructi sunt, & ad varios motus edendos eapropter idonei. Juxta horum motum quoque reliquorum adjacentium viscerum, hepatis lienis, &c. famulatur. Multum adhuc hunc promovet ipsius aeris irruentis & cum alimentis subeuntis, elater, quo & ventriculus & intestina blande inflantur, cum flatulentia illius modica, & mitis, placida & amica turgescenciaque, in intestinis, jejuno imprimis & ileo s. N. adest, iisque illorumque tunicis vigorem quendam roburque afflat, eaque vacua servat expansa, sine qua expansione flaccida conciderent latera, & motus & excretiones non forent expeditae. conf. HELLMONT. *lib. de flat.* Hinc patet, cur intestinorum angustia quandoque accusetur. Nec non ei calcar quoddam bilis influens addit, quae particulis suis salinis fibras movet motrices, easque ad motum peristalticum instituendum, de novo invitat & sollicitat. Hinc, si hujus affluxus impeditur, quod in ictero accidit, alvus redditur constipata, confer. KERKRING. *specileg. anatom. p. 82.* & si abundant & si corruptae sint & acriores, citata nimis est alvus. At huic confert non modo salinarum biliosarum particularum stimulus, sed & illarum juxta pancreatici succi elasticitas, quae sequenti experimento probatur: secto canis vivi abdomine, in duodeno fiant filo ligaturae duae, una infra pylorum, altera insertionem ductus cholodochi & pancreatici, consulto abdomine, & elapsis aliquot horis, denuo aperiatur ligata haec duodeni pars, tumidam valde & ad rupturam, usque tantum non conspicies. Ubi aperies vulneratione tumorem, usque adeo inflatum, ut flatus & bullulae spumantes cum sonitu quin strepitu exeant deprehendes & nares

acri exhalatione stimulos senties. confer, MART. LISTER, *Dissert. de humor. p. 152.* nec plane otiosæ hic sunt partes bilis unctuosæ, quæ insunt, sed potius lævigant latera intestinorum, ut facilius descendant per motum peristalticum mota contenta, & illorum fluiditas augeatur, ut pictores suos colores tenuiores reddunt & fluidiores additis bilis aliquot guttulis. Concurrunt porro valvulæ conniventes, & semilunares in tenuibus numerosissimæ, quarum per fibras suas itidem maxime transversales carnosæ tunicæ continuas contractio & dilatatio ab una ad alteram successive instituitur. Adjuvare etiam eum possunt simili modo esculenta & potulenta fermentescibilia, cum ipsa dein solutione, quam vocant fermentationem, quæque revera non multum absimilis est ab alimentorum in ventriculo celebrata turgescencia, exinde enata, ut argumento sunt præter hanc ipsam inflationem ructibus flatibusque testantibus, intima quæ hic celebratur corporum dissolutio, & aciescentia relicta &c. Non longius hic adducam salsa, aromatica, &c. quæ cum cibis ingeruntur, ventriculum statim ad motum peristalticum instituendum, vellicatione, una cum menstrui ventriculi particulis energetis, salinis, & calore influente, a motu sanguinis intra vasa ventriculi, & intestinorum, ut & partium circumjacentium, hepatis lienis &c. agitatione pressa, stimulare. Cæterum facilitant quoque hunc motum notabiliter irrigui intestinorum parietes a continua glandularum intestinalium & tubulorum crustæ villosæ, quam continuo stillant, humiditate lubricati atque perfusi. Ut experimur vel clysteres saltem emollientes & lubricantes sua fluiditate alvum proritare. Nec etiam de nihilo est ipsa contenta in primis spissiora facta fæces & quantitate & qualitate atque calore hunc exclusionis motum sollicitare. Per se quoque jam constat: hunc motum sub motione corporis vigere magis, ac esse in dormientibus & quiescentibus lentior

rem

rem &c. Ex præternaturalium magis causarum ordine, quædam etiam sunt quæ si non admodum irregulares & violentæ ad- jutorio & excitatorio interdum, salutari motui peristaltico, sin- gultus exemplo, esse possunt, ut alia minoris forte momenti jam taceamus.

## §. XV.

Proinde motus peristalticus præstantissimas actiones, & usus utilissimos habet, atque multa, varia, egregia, atque insi- gnia corpori præstat emolumenta, alia aliis potiora. Primo non absolum est, eum primum, in chylicationis œconomia, motum, in ventriculo, & maxime orificio superiori, sensibi- li admodum, appetitum salivamque movere, ac excitare, fi- bras contrahendo motrices, nerveæ etiam tunicæ atque maxi- me ac simul eo, salinas partes vellicantes in actum ducendo, quo superiori orificio molestia infertur, & desiderium cibi spiritibus imprimitur animalibus &c. Hinc in esurientibus sto- machus valde in asperitates contrahitur, contrahentibus se perpetuo fibris, usque dum materia quædam adveniat quæ illas dilatet, quam constrictionem quadantenus infringendam, fa- memque fallendam ERASISTRATUS notat: Scythas jejunare necesse habentes, ventrem latis fasciis constringere. Integro illo, appetitus integer est, labefactato hoc, labefa- ctatur ille, ideo etiam sub aeris statu austrino, fibris motrici- bus ventriculi laxatis, sensatio hæc minuitur, atque omnia alia, quæ tonum ventriculi laxant appetitum quoque languidum reddunt, at augetur frigidus eo, elastico, magisque fibras robo- rante &c. Assumpta deinceps ex œsophago ad ventriculum, & ex hoc ad intestina, & per ea, promovet non solum, sed & dum per plicas ea agit, & partem tunicæ intestinalis pli- cat & replicat, adeo ut reciprocam fluctuationem, per series intestinorum reciproce compressas & dilatatas, experiantur, ac

ac una eademque pars chyli, modo deorsum modo sursum, & ad omnia latera prematur atque conjiciatur, & fricetur inter se invicem, atterit ea comminuit dividit, discontinuat, solvenda, subigenda, attenuanda, digerenda, intimius solida & sicca cum liquidis & humidis, cum menstruo ventriculi, aliisque accessoriis miscenda, irroranda & diluenda, cogenda atque confundenda ac ut illud per contractiones suas reciprocas, ex glandulis quasi emulgatur, auxiliatrices quasi manus porrigit. Subactum jam & elaboratum chylum distribuit æqualiter, ut non uno in loco, cumulatim congeratur, in alio, haud in mediocre chylificatorii negotii incommodum deficiat, quo per totum chyli iter, is operatur haud secus atque ii, qui farcimina infarciunt, ubi contrectando sensim intestina infarcta, materiam inditam ita dispersiunt, ut nullibi inæqualis hæreat infarctus. Atque eum agit & quassat, eoque ut facilius vasa subeat, præparat, ut v. g. videmus: aquam saponatam, attritione manuum, per lintheaminum poros facilius transire, eoque opportune iis admovet eum, ut particule ejus poris excipientibus obviam fiant, atque filtrat, colat, exprimit, trajicit per tunicæ villosæ insensiles poros, & minutissimos tubulos caves, vario modo sibi intertextos, ( ut optime descripsit BRUNNERUS *de gland. intest.* ) quæ in vasa lactea abeunt. Unde molliori & liquidiori & puriori materia secedente, solidiora in intestinis crassis redduntur, ut fæculentia sic paulo crassior remaneat omnis. Sicque ut secretio utilis ab inutili, quod utrumque commixtum ex ventriculo venit, sive chyli, qui omnium humorum laudabilium & etiam minus laudabilium, materia prima existit, a fæcibus, & processus ad vasa lactea, & per ea ulterius fiat, opitulatur. Siquidem & certe pellit ipse motus, vibratione sua, peristalticus intestinorum chylum, per vasa lactea ulterius, ab iis exceptum, adjuvantibus tamen aliis, ut valvulosa ipsorum lacteorum conformati-

one



one & structura ejus accuratam descriptionem RUY-  
SCHIUS tradidit ) & diaphragmatis abdominisque  
musculis, ad mesenterii glandulas, ubi motus, quem ab illo ac-  
ceperunt, & hic novo impetu addito, ulterius continuatur.  
Difficultas quidem circa chyli vasa lactea ingressum quædam se  
objicit, quæque multorum ac egregiorum Virorum, ut PEC-  
QVETI & LOWERI, mentem dubiam torsit, quod nimirum  
sub hac motus peristaltici contractione, venarum lactearum  
orificia claudantur, adeoque via, venienti chylo, intercipiatur;  
sed expedita res est; a systole quidem chylum, ad partes urge-  
ri, sub diastole vero illum in sua vasa & patula, adjuvantibus  
musculis abdominis, ut bene, modo laudatus PECQVETUS  
monet, jam intrare. Hæc agendo alio tempore corpori quo-  
que consulit, quando simul operatur, ut medicamenta assum-  
ta, vim suam medicatam, decenter & tempestive, omni-  
bus partibus impertiantur. Atque tandem quoniam excreti-  
ones partium inutilium, superfluarum & noxiarum æque ne-  
cessariæ sunt, ad nutritionem, sanitatem & vitam ac congru-  
orum alimentorum ingestiones, statim quoque apparet, quod  
ad illorum exclusionem, motus intestinorum peristalticus æ-  
que necessarius sit, quæ ab ejus conditione dependet: Quo ro-  
bustior & vegetior hic est, eo citius fecum exclusio, quod pro  
sanitate est, expeditur; ut in hoc observatur varia hominum  
constitutio & differentia: Quo lenis, langvidus magis, & pla-  
cidus est, ut in iis, quibus omnes reliqui motus sunt segniores,  
quos Phlegmaticos, pituitosos vocant & melancholicos, ubi  
impeditus est, ut in hypochondriacis, & hystericis foeminis,  
eo lentius etiam & impeditius, hic quoque procedit: Quo  
fortiores & citatiores vero iidem, quos ii experiuntur, quos  
cholericos nominant, eo etiam liberius & expeditius agit.  
Secundum hæc, primaria fere alia adhuc sunt haud minus ta-  
men proficua, quæ ab illo procedunt. Hic mox v. g. recen-  
senda est bilis & succi pancreatici in intestinum duodenum ef-

fusio, quam ex his ductibus exprimit, & simul ipsum fellis folliculum, in consensum trahit. Sic etiam facit quoque ad flatulentiam naturalem: Nam quivis fere liquor, sive calidus, sive frigidus, in recipiente ad medietatem usque repleto, fortiter agitato bullas emittit, & remoto obturamento, aliquid flatus exspirat, vel ut is etiam in liberiori aere, virgula frequenter percussus dat bullulas flatibus plenas. Ab undarum in fluminibus agitatione levis semper ventus efficitur & præpetitæ, bullas spumamque colligunt. Pariter confert ad impetuosiorum & molestiam creantium flatuum qui retinentur exclusionem, qui ad excernenda pertinent quoque; Quoniam etiam hi potissimum in colo resident, ligamento nerveo tendinoso ad expulsionem horum hoc magis animatur, unde carminativa & nervina, salia volatilia oleosa, & quæ tonum intestinorum restituant, & motum peristalticum armant, ad flatus discutiendos multum contribuunt. Deinde postea quoque experiuntur Medentes, in morbis variis, inter quos hydrops primo omnium nominandus est; naturam stimulatam stimulantemque hunc etiam motum, humores peccantes cum euphoria non modo ex arteriis & vasis satis notis, sed & ignotis adhuc, quæ in mortuis evanescent, educere & ad intestina promovere, & per alvum cum morbi solutione excernere; cum intestina non modo ad exportandas alvi fæces, sed & totius corporis excernendis, superfluis & inutilibus sit destinata, unde & sæpius vel insensibili forte transpiratione impedita, humores superflui in massa sanguinea, turgescunt, & ad ipsa intestina transferuntur, quando v. g. fluxu alvi critici superveniunt, morbos aut præcavescentes aut solventes, minime compescendi, qui per motum peristalticum instituuntur & promoventur.

#### §. XVI.

His commemoratis, fit palam: in motu ventriculi, & intestinorum peristaltico, esse integritatis, sanitatis, & vitæ protrahendæ causas quærendas. In hoc verum robur ventriculi & intestinorum consistit, hoc sane recte se habente, tota œconomia animalis stat inconcussa. Tantum quippe ex ejus integritate commodum, ad universum corpus redundat, ut pro hujus conditione, & statu, seu prospero, seu adverso, omni

um

um omnino partium & actionum integritas, & origo dependeat, quæ per eum, & per succum nutritium, quem concedit atque transmittit, nutriuntur, vivunt, florentque. Chylificationem enim, quam hic promovet, & moderatur, præcipue, (quanquam non deveniamus eo, ut cum HARVÆO, PEYERRO, PITKARNIO, LEEWENHOEKIO, qui prope in ERASISTRATIS & ASCLEPIADIS sententiam abierunt, totum chylificationis negotium absolvendum ipsi uni & soli adscribamus.) reliquæ actiones in corpore sequuntur omnes: Nam qualis est chylus, talis est sanguis, & qualis sanguis, & humores, tales spiritus, & quales hi, tales etiam sunt: nutritio, motus, sensus, vita & sanitas. Atque eo modo se habet chylificatio, ut si semel vitata, hæc vitia non facile corrigantur, & quicquid non corrigitur, in prima coctione, non facile corrigitur in secunda, & tertia. Eapropter etiam ventriculus & intestina, & in illis motus peristalticus præcipue in omni morbo, semper sunt spectanda & consulenda. Hinc non inepte ventrem, facultatis naturalis fontem, constituit MESUES *Cap. III. Theor. II.* Hoc convenienter & HIPPOCRATES indicavit: quando ventriculum totius corporis Regem appellavit, & quando *Sect. III. Lib. VI. Epidem.* dicit: *ventris segnities omnium confusio, vasorumque impuritas.* Unde etiam canon medicorum nascitur: *fundamentum vitæ in sanguine, sanitatis in stomacho consistit.* rursus hoc hic tritum in medicina valet: *qui bene ingerit, bene digerit & bene egerit, sanus est.* Atque experimur quotidie: læso hoc negotio, totius corporis robur dissolvi, atque motu peristaltico labefactato, (quod vitium inter alios misere, paralytici maxime luunt) appetitum perdi, digestionis vim, & facultatem fecernendi inutilia, eaque per alvum excernendi, minorem evadere, unde vel paucum vel nullum debitum nutrimentum transmittitur & multarum sordium in prima regione accumulatio, quæ multis morbis fontem præbet, exurgit.

## §. XVII.

Si itaque ad tuendam valetudinem, & morbos avertendos, præcavendosque, motus ventriculi & intestinorum peristalticus, adeo salutaris, optandum cuivis est, ut bene sem-

per se habeat, atq; eapropter, evitanda omnia, quæ eum depravare ullo modo possint, sed potius omni studio servandus est salvus atq; integer, magnum hoc salutis nostræ præsidium, & exitii quoq; certissimus auctor. Depravatur autem, dum aut nimis intenditur, aut penitus invertitur, aut nimis debilitatur, relaxatur, impeditur. Irritant nimis, & eum intendunt, convellunt atque invertunt nimis acria, erodentia, caustica, maligna venenata, sive ex tumultuantibus, sanguine & humoribus acrioribus, biliosis, scorbuticis, concepta & eo ab legata, sive intus assumptis congesta, atque concitato hinc in quodam intestinorum tractu, spirituum animalium fluxu irregulari & violento nimis, & provocato sic fibrarum spasmo, adeo ut irritata non possint bene deorsum versus inoveri atque movere, accedente insuper impedimento, motum ordinarium inhibente, & continuata modo irritatione, aliter vix fieri potest, quin contenta sursum per totum intestinorum tractum continuum versus ferantur. Ejusmodi esse possunt etiam remedia alioquin adhibita, at præpostere: vomitoria, purgantia drastica, resinosa, ut: Scammon. Gialapp &c. quæ diutius ventriculi & intestinorum plicis adhærent, & partes elasticas, molles, & membranaceas sensiles continuo vellicant, & erodunt, torminibus exinde obortis, hyperchatharsi, animi deliquio, alvi obstructione per plures dies insequente, aliisque molestis symptomatibus testibus. Sic ejusmodi primum nimiam fibrarum crispaturam prompte excitant, ex qua denuo extensus nimis, & tonus relaxatus & perditus insequitur, rarius & difficilior in integrum restituendus. Vix satis enim dici potest, quantum nocuum huic afferant hæc imprudenter adhibita, a quibus sibi quisque caveat sedulo. Temerarium itaq; facinus est nunquam permittendum ubi vulgus, pharmacoplæ, empirici inscii, & audaces promiscuum eorum usum adhibent; Hinc laude sua, non caret lex, publice Venetiis lata, per quam non licuit cuiquam juniorum Medicorum, purgantia scammoniata & similia præscribere, proposita publica tabula, ut omnibus esset cognoscendi potestas, in qua nomina illorum Medicorum erant consignata, quibus tantum liberum

berum

berum, ejusmodi purgantia ordinandi. Ad hanc perniciem, affectus animi violenti, ut vehemens ira, quæ furor brevis est, occasionem præbent, qui itidem spasmodica contractione agunt. Ex rebus præternaturalibus hic accusandæ sunt, spasmodicæ & conculsivæ affectiones: colica passio, tenesmus, inflationes acres, moleste vexantes & sæpius singultus graves aliosve convulsivos motus ac dolores ægre ferendos, concitantes, vermes & lumbrici intestinales, alvi obstructio, fæces induratae, compressio, hernia intestini recti prolapsus, humores biliosi, acidi, corrupti, acres, tumores, inflammationes, continui solutiones, exulcerationes, sphacelus. Ex hac irritatione & constrictione, varii casus, variaque pericula proveniunt, ventriculi & intestinorum corrugatio, angustia, ex qua eorum debilitas perpetua manet: vid. FOREST. *Lib. 18. observ. 35.* convulsiones, inflammationes, imo sphacelosa corruptiones atque diarrhœa, dysenteria sæpissime, in quibus exagitur & acceleratur nimis, rapidior & impetuosior redditur, & hinc copiosas simul, frequentesque dejectiones facit, secundum eundem in his suum consuetum ordinem suamque consuetam viam, i. e. a ventriculo ad intestina & exinde, Oeconomiam animalis chylicationis notabiliter lædit & periculose imo periculosissime afficit. Major autem ataxia, majorque impetus est, majusque periculum, si contra consuetum ordinem, contraque ordinatam viam, tanquam equus effrenis fertur, quin invertitur & pervertitur, ut in vomitu, in quo impetuosus, violentus & vehemens admodum est, in cholericâ passione vehementior irritatus, atque iratus est, ubi perplexa quasi seditio, tumultuatur atque indomita undique versum, sursum, deorsumque mobili impetu ruit & furioso; Vehementissimus vero conspicitur in iliaca passione, ubi ad extremam perniciem res spectat, ut plurimum omnis & extremis intestinis, obscœna contenta, per superius guttur, cum violentia eji-  
ciuntur.

## §. XVIII.

Præpediunt e contrario eum, deprimunt, inhibent, debilitant & relaxant, relaxatis nimis fibris motricibus, omnia, quæ dejiciunt vires, narcotica, opiata, exsiccantia, nimium refrigerantia, styptica, in primis in prima mensa & jejuno ven-  
tricu-

triculo assumpta, diuretica nimia, quæ humidum necessarium per urinam evehunt, item crapulæ frequentes, nimia cibi potusque vini in primis adusti ingestiones. & ingluvies, a quibus nimis distenduntur & laxantur intestina: Ob nimiam enim ingestorum copiam vix quoque prompte contrahi possunt, & chyli exitus difficilior fit, & labore plenus, hinc in strenue & assidue potatoribus non raro ita extenditur ventriculus, ut contrahi & corrugari amplius non possit, sed extensus atque extenuatus, anorexias, & debilitates parit perennes. Eadem noxa proposita est a flatibus latera intestinorum nimis distendentibus, assumtis acidis, duris, crassis, austeris nimis, atque acerbis, glutinantibus, viscidis, mucidis, actionem fibrarum impredientibus, & intestinis insensibilitatem inducentibus, potu parciori itemque foecum descensum magnopere retardante. Ex animi pathematibus, hanc minantur diuturnus mœror, & ex reliquis indifferentibus, quies & somnus immodicus, ær humidus, austrinus, vigorem imminuens. Ex rebus præternaturalibus, sequentes nominentur: Affluxus spirituum animalium impeditus, paralyfis ventriculi & intestinorum, bilis inertia, aut accessus denegatus, pituita tenax intestinorum lateribus adhærens, post tumores, vulnerationes & exulcerationes parietum Intestinorum coalitio, adstrictio & coarctatio; siquidem adeo interdum non solum orificia ventriculi & intestina possunt coarctari, ut nec vapor, nec flatus queant exire, quem affectum PETRUS SALIUS DIVERSUS solum AETIUM descripsisse autumat, similes fere casus FERNEL. *Lib. VIII. de part. morb. & sympt. c. 9.* MARCELLUS DONATUS *Lib. III. P. II. Sect. II.* F. GLISSON. *de ventricul. & intest. p. 469.* retulerunt Vitium & atoniam ventriculi & intestinorum inductam sequuntur plures morbi chronici, & pertinaces: apepsia, bradypepsia, alvi obstructio, flatulentia molestissima, malum hypochondriacum &c.

## §. XIX.

Tuentur vero eum atq; custodiunt juvant & sollicitant & labascentem erigunt omnia ea, quæ justum robur & tonum fibris motricibus addunt, stabiliunt, conservant easque ad contractionem armant, quæ blando stimulo vellicant ac proritant, quæ

quæ justum spirituum animalium affluxum in eas procurant. Ejusmodi sunt & quidem ex rebus indifferentibus, aer serenus, tenuis, siccus, frigidior potius quam calidior nimis, tepidus & humidus, quoniam hic destruit, ille erigit vim fibrarum carnearum comprimentem, ut illo tempore majus est omnium musculorum robur, unde hyeme & frigido Jove melius chylicationem succedere dicitur, atque appetitum magis vigere & ingestiones alimentorum, digestiones, egestiones excernendorum fortius institui experimur. Inter cibos laudantur viliores potius quam delicatiores, & qui excrementa plura quam pauciora relinquunt, quales vegetabilia sunt, atque assati magis quam elixi duriusculi magis quam emolliati nimis & viscidi, iique qui sale communi & aromatis bene sunt conditi, fermentescibilia, mellita, saccharata, moderato usu adhibita, quæ motus peristaltici exercitium augent. Illudque faciunt lenientia & laxantia, emollientia præsertim in prima mensa assumpta, ut pruna damascena cocta, passul. minores, butyrum recens, juscula pingua. Conducunt ex potuum generibus frigida potius quam frequenter tepida, vinum & illud medicatum compositum cydoniatum, absinthiacum, Juniperinum &c. Commendantur motiones corporis convenienter institutæ, imprimis equitatio, tornatio, ambulatio, scalarum ascensio, in lecto circumvolutio, quod motionis genus in pertinacissima etiam alvi obstructione, magno remedio est. Huc trahere liceat, quod pro stabiliendo non modo, sed & restituendo motu hoc peristaltico, ambulationem nudis pedibus super stratum lapideum maxime commendat BRASSAVOLA. Proficua quoque sunt infusa & Decocta ex herbis, floribus, lignis, radicibus, seminibusve roborantibus & aromaticis: hb. veronica, serpil. calaminth. salv. majeran. fl. rosmar. rosar. rd. sassaparill. lign. sassafra, fantal. rub. lign. aloes, cort. chin. chacarill. sem. anisi. foenicul. infusa & decocta thee, coffee, chocolatæ, fumus tabaci jejuno præsertim Ventriculo exceptus, thermæ & acidulæ, quæ simul & quantitate & qualitate sua, hunc motum exercent. Remedia ea huc faciunt, quæ vires corpori addunt & confortant, aut languidiorem motum blande stimulant, restitunt ac conservant, fibrisque tonum & robur addunt, confortant.

fortan.

fortantia sic dicta & cordialia, stomachica, nervina, roborantia, ut & aperientia, resolventia, incidentia, quæ pituitam & mucum, qui obstaculo est, attenuant ac removent, sub adstringentia quæ in quovis fere, paucis exceptis, ventriculi & intestinorum affectibus ea propter conveniunt, docente etiam GALENO *de composit. pharmacop. sec. loc. Lib. VIII. Cap II.* terra sigillat. siles. lemnia, martialia, limatura martis &c. Tinctura martis aperitiva, Tinctura Victrioli martis Zvvelfferi. Ad priorum classem magis pertinent, quæ subtili oleoso, aromatico & salino volatili, resinoso, tenui & gummoso principio prædita sunt, & spirituosa, balsamica, balsam. peruv. de copaiva, de Tolu, de Mecca, & illis paratæ Tincturæ & essentiæ, inprimis Balsam. vitæ Excellentiss. FR. HOFFMANNI, myrrhata, terebinthinata, castoreata, succinata, tartarea, crocata, ambrata, cinnabarina, nec non camphorata, spiritus vegetabilium, ut rosarum, fl. sambuci, lilior. convall., spiritus mastichin., salia volatilia oleosa, &c. e. g. Sal volatile oleosum Sylvii. Hæc quandoque & inprimis inter pastum assumi possunt. Ad eosdem scopus valent confect. Alkermes, completa & incompleta, nux moschata indica, zingiber. calam. aromat. condit, galanga, salina fixa blanda cum terreo salinis, nitrum antimoniatum, sal ammoniacum, sal Glauberi cum sale Ebsoniensi, arcan. duplicat. tartarus vitriolatus, liquor terræ solvat. tartari, tinctura tartari simplex & composita, tinctura antimonii & similia, Essent. absinth. centaur. min. menth. Elixir. Propriet. Paracels. pulv. Cachect. Quercetan. & similia composita, Elixir. Vitriol. Myns. Tinctura Corall. &c. E re porro sunt Extracta herbar. scord. carduiben. &c. sub forma pilularum alterant: adhibita, ut & pilulæ aloeticæ & laxantes, item ex manna, & rhabarbar. similibusque lenioribus parata laxantia, pilulæ Becherian. Stahlian. polychrestæ HOFFMANNIANÆ. Nec externa ex aromaticis spirituosus & similibus illinita abdomini, ut & clysteribus injecta (quæ speciatim intestinis crassis prospiciant) hic de nihilo sunt. Atq; sic exposuimus, quam brevissime potuimus, motum ventriculi & intestinorum peristalticum.

**DEO SIT LAUS, HONOR ET GLORIA IN ÆTERNUM!**





